

EMBLEMA LXV.

His nihil edacius.

LXV.

Res cunctas tempus, mors, seniumq; vorant.

Ecce vacant epulis tempus, mors, atque vetustas,
 Horarumque infert turba ministra dapes.
 Nusquam, crede, fuit conuiua voracior istis:
 Cum simul absument plurima, plura petunt.
 Ecce onerant hominum, pecudumq; cadauera mēsam,
 Quicquid & oceanus, fetaque terra tulit.
 Sed saties nulla est: fiunt quoque fercula turres,
 Et nunquam saturæ sunt cibus illa gulæ.
 Quin consumpta iacent septem miracula mundi.
 Nec satis: ad prædam sit gradus vsque nouam.